



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Henricvs Imp. 14. Julii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

S. HENRICVS IMP. 14. Iulij.

Emmam Romanæ Coronæ unicam hic exhibeo HENRICVM, genuere Bojorum Duces, D. Wolfgangus educavit. Quidni ab his bonum Imperatorem speres? Certè Imperium à se ipso auspiciatus Virgo idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc subacto, facilè alios Imperij hostes omnes fudit, tum præsertim, cum Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius, & cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angelusque præiverunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantus belli Imperator ecce à pueris vincitur. obsidebat Trojam Apulix urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives sive armati, sive supplices in urbem repulsi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: signum Crux præit; barritus unus omnium, idem Kyrie eleison auditur, quid multis? primâ pugnâ HENRICVS capitur, & urbs libertate potitur. Adhuc gravior ille confictus fuit, quem mortuus cum acie infernâ habuisse, dæmonis, qui rem in suis oculis gestam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioso exposuit, nutasse illic cum lance HENRICI causam, donec iterum suppetias ferens Laurentius, calicem sibi donatum pro clypeo objiciens, rem restituit. Id nisi more suo dæmon confinxit, præidentem esse oportet, cui cor non palpitat. Ex D D. Bamberg. Jac. Gretseri.

Convertatur amor tuus, ut nihil diligas, nisi DEVM ipsum, aut certè propter ipsum: convertatur etiâ ad ipsum timor tuus: quia perversus est timor omnis quo metuis.

metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic
 & gaudium & tristitia convertantur ad ipsum:
 hoc fiet, si non nisi secundum eum doleas, aut late-
 ris. S. Bern. de Iejun.

S. BONAVENTURA EP. 14. Julij.

CONTRÀ quàm hodie fieri amat, BONAVENTY-
 RAM mater ultrò Deo & D. Francisco devo-
 vit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita juuxit, ut
 dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum
 testimonium Alexander de Ales est, non peccasse
 Adamum in BONAVENTURA. Ipse D. Thomas
 miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam
 suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Cru-
 cifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen
 plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties
 indignum se putavit, qui sacro Epulo accumbe-
 ret? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cum
 felicem sportulam ad os BONAVENTURÆ ultrò
 portarunt. Moriturus cum vomitu laboraret, la-
 teri cibum Divinum jussit admoveri, & ecce in-
 de ad ipsum Cor se EVCHARISTIA penetravit.
 Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis an-
 nis à morte integrum ab omni tabe repertum esse?
 Porro, dum vixit VIRGINIS unicè studiosus fuit.
 Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos
 quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò li-
 bentius lucubrationes scripsit, quòd is de VIRGI-
 NE plura suggereret. Pulsam quoque æris cam-
 pani, quo exciti sub noctem venerabundi ter MA-
 RIAM salutamus, BONAVENTURA instruit, rectè,
 cum humanas linguas laudibus VIRGINIS suc-
 cumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora
 & ferreas linguas. Ex vitâ & Thom. Bozio.

*Non sic timent hostes visibiles castrorû acie. si cœt
 aërte*